

1549 virtute opem ferre; religionem divulsam, atque in plerisque provinciis nutantem restituere, & ad pristinum decus revocare posset; ad idque Pisanum, ac Cornelium patritios viros Cardinales per Matthæum Dandulum legatum incitabant, Durantem Reipublicæ amicissimum impellebant; unum id christianæ reipublicæ malis, atque perturbatis Italiæ rebus præsens remedium fore rati, si is Pontifex deligeretur, qui nullis humanis obcæcatus affectibus, a se ipso penderet, omnes cogitationes, ac consilia ad commune bonum dirigeret. Ita se res anni hujus exitu habebant; anceps Italiæ quies; incertus pontificiorum comitiorum eventus; suspensi Italorum Principum animi; Veneti sedulo de illorum imperii incolumitate, pro Italiæ libertate, ac dignitate solliciti: quibus permoti opus, de quo sapius actitatum fuerat, Guidobaldo copiarum gubernatore suadente, aggrediuntur. Pischerium oppidum in extrema Benaci lacus ora, qua Mincium amnem efficit, egregiis operibus munire statuunt, quod valde opportunum iis Reipublicæ ditionibus, quæ ultra Mincium sunt, subsidio tuendis censeretur. Hæc procuratio Stephano Trivisano injuncta est, qui brevi oppidum terra, ac muro cinxit, ut postea ad eam, quæ hodie cernitur, prævalidam arcem excreverit.

*Pischerii
muniendi
decretum.*

M. D. L.

1550
*Julii tertii
Pontificis
electio.*

Romæ vero comitia valde perplexa, ac diuturna fuere, cum tandem post duos menses, & dies sex Joannes Maria Montius Pontifex renunciatus est, cunctis ad eum adorandum (genus est id, quo nonnunquam Pontifices eligi consuevere) provolutis. Is nulla nobilitatis commendatione, aut propinquitatum favore in Cardinalium Collegium cooptatus, virtutis, atque integritatis opinione apud cunctos concitata; eo præsertim, quod se a Principum factionibus immunem præstitisset, in Farnesii sententiam cunctis facile descenditibus, eam dignitatem est adeptus, Juliique tertii nomine assumpto, Ecclesiæ gubernacula suscepit. Veneti, quibus publica pax, ac præsertim Italiæ cordi erat, ex Julii electione, quod is in neutram partem propendere censeretur, magna lætitia affecti, adeptam dignitatem per Matthæum Dandulum, ordi-

*Matthæus
Dandulus,
orator, Senatus
nomine Pontifici
gratulatur.*